Jahresbericht

des

Königlichen katholischen Gymnasiums zu Gleiwitz

für das Schuljahr 1888/89,

womit

zu der am 10. April 1889 stattfindenden

Schlussfeierlichkeit

alle Gönner und Freunde der Anstalt ergebenst einladet

der stellvertretende Direktor

Ernst Steinmetz,
Professor.

REAL-GYMNASIUM DÜSSELDORF BIBLIOTHEK

Inhalt:

De difficultatibus quibusdam in Pindari carminibus explicandis. Von dem Gymnasiallehrer Bartholomaeus Czerner.

Gleiwitz,
Neumann's Stadtbuchdruckerei.
1889.

1889. Progr.-No. 174.

99e 5 (1889)

4-68, 48 b

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK DÜSSELDORF

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De difficultatibus quibusdam in Pindari carminibus explicandis.

Quisquis Pindari carmina accuratius inspexerit et adamaverit, non solum deplorabit, quod ex septendecim poetae libris, quos Suidas et Vita Vrat. enumerant, quattuor tantum neque ii omnium dignissimi nobis servati sunt, sed in iis, quae supersunt, carminibus aliarum quoque litterarum Graecarum iacturam, imprimis historicarum aegerrime feret. Jam veteres grammatici Pindarum difficillimum esse intellectu omnes consenserunt, ac maxime propter dicendi genus gravissimum ita judicaverunt Pindari non minus quam Aeschyli proprium. Ad hanc vero difficultatem quam elocutionis ratio offert, in epiniciis, quae dicuntur, legendis aliud quoddam est impedimento, quod in rebus inest, quae a poeta tractantur, quae res modo ad victorem vel victoris gentem patriamve, modo ad ipsum poetam pertineant. Ubi poeta eiusmodi res uberius tractavit, ex ipsa tractationis ratione ipsisque poetae verbis nonnunquam perspicere ac cognoscere possumus ea, quae ad intelligendum carmen necessaria sunt, id quod fieri non potest, ubi poeta res parum notas paucis modo verbis leviter tetigit.

Aliae difficultates in epiniciis explicandis ratione rhythmica ac metrica efficiuntur, aliae singulari carminum componendorum arte Pindarica, quippe quae ab omnium poetarum ceterorum arte compositionis maxime abhorreat.

De nonnullis eiusmodi difficultatibus pauca quaedam hoc loco collaturi sumus.

Notum est nonnulla Pindari carmina epinicia epodis carere. Videamus iam, quae viri doctissimi de hac carminum ratione protulerint.

Quibus causis Pindarus, ut nonnulla carmina epinicia *μονοστροφικὰ* pangeret, commotus sit, diversae coniecturae factae sunt.

Westphal monostrophicam carminum formam vetustiorem recte appellavit. Cur autem Pindarus interdum vetustiore illa forma usus sit, vir doctissimus non demonstravit.

L. Schmidt (de Pindari vita et poesi p. 90) complura carmina monostrophica falso epiniciis Pindaricis immixta esse sibi persuasit. Carmina quaedam paulo minora poetam, sicut P. VII. et Ol. X, non composuisse, quibus ipsis victorias quasdam celebraret, sed ampliora carmina victoribus promitteret. Quam ob causam illa carmina minora quasi epistolas esse poeticas, quibus Pindarus sese plus otii nactum magnificentius victores laudaturum esse polliceretur. Atque sunt quidem nonnulla carmina monostrophica, velut Ol. XIV. Pyth. XII. N. II., breviora, ut facile nobis persuadeamus, ea carmina Pindarum festinantem scripsisse.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sed alia Pindari carmina monostrophica eiusmodi epistolae poeticae certo non sunt. Neque enim tam brevia sunt quam ea, quae supra commemoravimus, neque eorum argumenta epistolam quandam indicant. Complures, velut N. IX., tam perpolita sunt, et metris et argumentis tam praeclara, ut non liceat cogitare Pindarum, cum ea carmina componeret, otio caruisse.

Ceterum Schmidt ipse concedit fieri potuisse variis de causis, ut poeta monostrophica forma uteretur pro περικοπαῖς illis, quae a Stesichoro inventa vulgaris carminum choricorum forma facta est.

Thiersch dicit carmina monostrophica fortasse in pompae ingressu cantata esse eaque sola ita cantari potuisse.

Sed ne unum ex iis carminibus certo dicere possumus cantatum esse in pompa urbem ingrediente vel per vias urbis procedente. Ol. XIV, 14 et N. II. 24 κῶμος commemoratur, (τόνδε κῶμον ἐπ' εὐμενεῖ τύχᾳ κοῦφα βιβῶντα et ὦ πολῖται κωμάζατε Τιμοδήμῳ σὺν εὐκλεῖ νόστῳ Ed. Bergk.) sed ita, ut probabilem coniecturam de cantandi ratione inde facere non liceat. Alia carmina, quae in pompa cantata esse vulgo dicuntur, ex strophis cum antistrophis et epodis composita sunt, velut Ol. XI. (X), XIII.

Ex forma monostrophica, qua ratione, in pompane an ubi pompa constiterit, carmina epinicia cantata sint, recte colligi non potest. Ego quidem mihi persuadere non potui unum alterumve carmen Pindaricum in pompa procedente cantatum esse exceptis iis, quae ex ipsa cantandi ratione προσόδια appellabantur, atque si memoriae proditum est carmina quaedam ἐν κώμῳ cantata esse, illud ἐν κώμῳ ita intelligendum esse dico, ut unumquodvis carmen ἐπίνικον cantatum esse statuamus, ubi primum pompa ad carmen cantandum constiterit. Sed de ea re alii aliter iudicaverunt. Velut Dissen Nem. IX. a choro procedente cantatum ob eamque causam monostrophice compositum esse coniecit, cui contraria est conjectura L. Schmidtii, qui Nem. IX. in Chromii aedibus ab eius hospitibus convivantibus cantatum esse vult cum hilaritatem quandam carminis propriam tum formam monostrophicam in animo secum considerans.

Dissenio hoc carmen videtur cantatum esse in pompa, cum Chromius tanquam redux e certamine Sicyonio, ut victores solerent, magno comitatu sollemni veheretur per urbem. Post pompam Chromium eiusque amicos convenisse ad convivium. Ut sententiam suam probaret, Dissen vs. 4: τὸ κρατήσιππον γὰρ ἐς ἅρμ' ἀναβαίνων, quae verba nisi de pompa intellegi non possent, et extremam carminis partem attulit, ubi poeta, cum iam pompa ad Chromii domum accessisset, ut phialae promerentur, hortatur.

Qua de re secus existimavit L. Schmidt (Pind. V. et P. p. 240); contendit enim carmen in convivio cantatum esse, quod Chromius amicis suis apparavisset, pompam autem convivio successisse. Nec vero Schmidtii argumenta probanda sunt. Dixit autem vir doctissimus Pindari illa „θαρσαλέα δὲ παρὰ κρατῆρα φωνὰ γίνεται" ad verbum esse intelligenda ac sic vertenda: „audax vero fit vox inter pocula", quae verba manifesto ab amicis Chromii cantata esse in convivio accubantibus. Sed tantum abest, ut locum, quem memoravimus, aeque ac Schmidt interpretemur, ut verba illa universe dicta esse neque magis ad res praesentes pertinere quam ad res futuras arbitremur. Generaliter dicta sunt etiam ea, quae antecedunt.

Sententia autem illa de voce inter pocula audaci transitionem parat ad ea, quae sequuntur, ut hoc modo locus (vss. 48—50) explicandus sit: „Cantavimus virtutem fortunamque Chromii, qui omnia nactus sit, quae homini feliciter contingere possunt; nunc vero potemus, misceat igitur quis vinum etc." Admonet igitur poeta Chromii amicos, ut iam aggrederentur ad con-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vivium paratum alacribus animis in convivioque et iocis et versibus more solito celebrarent victoriam, quam pompa sacrificiisque et carmine iam affatim celebrassent. Quisquis rebus gestis non modo gloriam sed etiam opes sibi parasset, eum iam otio ac quieti se dedere licere (vs. 46—48 *συμπόσιον*); quisquis autem in ludis vicisset, eum non modo pompa et sacrificiis, (quae modo sunt peracta), sed etiam carmine, (quod tum ipsum peragebatur) itemque convivio laeto, quod iam esset incipiendum, celebrari decere. Carmen et convivium ita esse coniungenda, ut cantui potus et potui cantus succederet. Vocem carmine cantato fatigatam denuo reficiendam esse inter pocula, ut rursus et verbis solutis et versibus subitis iocularibusque victorem posset laudare et celebrare. Itaque verbis iis, ad quae Schmidt provocavit, hoc tantum efficitur, sollemnibus ceteris peractis etiam convivium mox esse subsecuturum.

Cetera Schmidtii argumenta non minus caduca sunt quam quae refutavimus. Verba enim *γλυκὺν κώμου προφάταν* „suavem pompae praenuntium" significent non necesse est, cum Schmidt ipse concedat voce *κῶμος* etiam convivium nonnullis locis apud Pindarum significari. Atque aliis locis vox *κῶμος* omnino sollemne quoddam omniaque sollemnium oblectamenta significare videtur. Cf. Ol. VI, 18: *ἀνδρὶ κώμου δεσπότᾳ* et Isth. II, 30: *καὶ γὰρ οὐκ ἀγνῶτες ὑμὶν ἐντὶ δόμοι οὔτε κώμων, ὦ Θρασύβουλ', ἐρατῶν οὔτε μελικόμπων ἀοιδᾶν.* De voce *κῶμος* cf. Thiersch Pind. Intr. p. 114 sqq. —

Quodsi Schmidt monuit primam et ultimas duas strophas carminis eximiam quandam hilaritatem laetitiamque declarare, eximiae huius hilaritatis ac laetitiae quamvis aptissimae ad convivium alias causas afferre possumus. Admonet enim poeta victorem rebus gestis celeberrimum optimeque meritum, ut iam fruatur otio voluptatibusque ac deliciis vitae sibi paratis. Nonne eiusmodi admonitio iam per se hilaritatem quandam efficere potest?

Omnino ea, quae Schmidt proposuit, quo tempore et qua ratione carmen sit cantatum, tam insolentia sunt, ut vix cuiquam probari possint. Nemo alius, quantum scimus, eiusmodi sententiam proponere conatus est. Carmen epinicium in ipso convivio inter pocula cantatum esse ab amicis hospitibusque Chromii compotantibus! Poetam autem, cum carmen scriberet, hoc ipsum respicientem, quod hospites, quibus carmen canendum esset, in difficilioribus metris tractandis parum essent exercitati, strophas breves forma monostrophica simplicissimoque metro usum composuisse! Sed Graecis numeros in carminibus cantandis haud tam magnam difficultatem attulisse liquet, cum numerorum percussiones ab eo, qui cantum chorumque dirigebat, magno cum strepitu indicari pede solerent.

Pindari carmina epinicia a choris virorum iuvenumve bene exercitatis cantata esse excepto Schmidtio omnes consentiunt. (cf. quae Thiersch de hac re disputavit, Pind. l. c. p. 103 sqq.) Choreutae a Pindaro ipso *τέκτονες κώμων* (N. III., 4), artifices carminum suorum, appellantur. Multo probabilius esset, si Schmidt non amicos accubantes sed alios quosdam vel Syracusanos vel Aetnaeos cantandi saltandique peritos, cum amici accubuissent, carmen cecinisse dixisset. Sed inter pocula carmen quoddam epinicium cantatum esse omnino verisimile non est. Post convivium enim pompam ductam esse, id quod Schmidt contendit, cogitare non licet. Nemo enim ignorat, veteres hora pomeridiana sole iam inclinante accumbere neque tam mature surgere a coena solitos esse.

Quonam autem tempore pompa ducta esset, si convivium iam incepisset, cum carmen caneretur? An vespere? Credere non possumus, nisi forte pompam illam vel *κῶμον* cum tumultu magnaque cum petulantia urbem perambulasse statuimus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Eiusmodi κώμους h. c. turbas iuvenum lascivorum semigraviumque per vias urbis volitasse etiamsi non negemus, tamen dubitamus, num id Schmidtio ante oculos obversatum sit cum pompam („Festzug") convivio successisse dixerit. Pompae sollemnes ad templum quoddam ducebantur, ubi diis sacrificia rite fierent. Sed haec hactenus. Pluribus iam non videtur opus esse ad Schmidtii sententiam refutandam.

Iam videmus, quae Schmidt in Nemeo nono explicando ex monostrophica carminis forma conclusit, probari non posse. Nec Nem. IX. neque ullum aliud Pindari epinicium in convivio cantatum est. Eadem enim vel similia neque minus gravia argumenta, quam in N. IX. etiam in aliis carminibus illi cantandi rationi, quam Schmidt in N. IX. proposuit, repugnant.

Dissen ex verbis κωμάσομεν - ὄλβιον ἐς Χρομίου δῶμ' conclusit Chromium quasi Sicyone Aetnam redeuntem pompam sollemnem inde a portis per vias urbis duxisse ad domum suam. Licet autem Pindarus, cum scripserit κωμάσομεν Μοῖσαι, illam quoque respexerit pompam, quae cum hoc carmine cantuque haud dubie aliquo modo coniungenda fuit, tamen verba qua ratione Dissen intellexit, non percipienda sunt. Quod poeta Musas in urbem Aetnam arcessivit quasi cum pompa sollemni Sicyone illuc procedentes, imprimis quidem id fecit, ut hoc carmen deae ipsae quasi nectere et ad finem perducere viderentur (ἀλλ' ἐπέων κτλ.) Carmen enim quamvis multo ante a poeta perfectum, cum canebatur a choro, Musae canentibus quasi inflare videbantur. Non poeta solus sed etiam choreutae canentes Musarum auxilio egebant neque non necesse esse videbatur deas tibiarum quoque et citharum cantui favere.

Ea erant quodammodo Musarum Aetnae munera. Primo igitur versu poeta se ipsum et Chromium cum Musis a ludis Sicyoniis Aetnam proficiscentem facit, quasi a Chromio victoria modo parta esset. Heyne vix aliud quidquam vult, cum dicit (ed. 1798) κῶμον victoris duci Pythiis Sicyone habitis in Siciliam ad urbem Aetnam.

Dissenii sententia tametsi Schmidtii interpretatione paulo probabilior videtur, tamen non placet. Recte quidem dicit vir doctissimus, carmen N. IX. in pompa cantatum esse ut ponamus, inducere posse versum quartum. Verba illa „τὸ κρατήσιππον γὰρ ἐς ἁρμ' ἀναβαίνων" cum ad Chromium manifesto pertineant, pompae sane initium significare videntur. Leutschii enim coniecturam, qui subiectum verbi ἀναβαίνων vocem ὕμνος esse dixit, hoc loco omittere liceat. Nos cum Dissenio hoc quoque consentimus, quod ultimis strophis convivium in Chromii aedibus provisum significari arbitramur. Concedimus etiam id, quod Dissenius non verbis quidem expressit, sed tacite pro certo videtur sumpsisse, Chromium, cum carmen fundendum curaret, omnia cum Pindaro communicasse, quae ad carminis cantandi rationem pertinerent, ut poeta hymnum suum locis, temporibus, rebus victoris optime accomodare posset. Tamen videmus, „quid sententiae (a Dissenio) propositae obstet".

Si Dissen recte diceret Chromium, cum reverso ludorum Sicyoniorum tempore victoriam suam quasi recentem celebraret, tanquam modo reducem e certamine pompa sollemni per urbem vectum carmenque in pompa a porta quadam ad Chromii domum procedente cantatum esse, opus esset statuere Pindarum carmen pangentem accuratissimam longitudinis viae rationem habuisse longitudinemque carminis ad longitudinem viae direxisse, ut initio carminis initium pompae a porta quadam urbis proficiscentis et fine carminis finis pompae simulque initium convivii recte indicaretur. Quod nisi fecisset poeta, fieri non potuit, quin aliqua carminis pars quasi stasimon quoddam caneretur, postquam pompa constitisset, aut aliquo loco

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

carminis cantus intermitteretur, antequam pompa ad finem propositum pervenisset, carmen igitur non uno tenore sed intercapedine semel vel saepius facta cantaretur. Atque videmus quidem primam carminis N. IX. stropham graviore interpunctione distinctam ac separatam. Eodem loco etiam argumentum carminis quasi incisum esse facile animadvertimus. Neque compositio carminis neque continuatio seriesque rerum, quae carmini subsunt, repugnant, quominus carmen interposito intervallo cantatum esse ponamus. Media carminis pars (inde a str. 2.) quae summam carminis efficit continetque, cum prima parte (str. 1.) tam laxe cohaeret, ut maiorem quandam intercapedinem inter has partes factam esse conicere liceat. Atque etiam extrema carminis pars (inde a str. 10.) quae ad convivium maxime pertinet, ab antecedentibus strophis (et sensu et interpunctione) satis distincta est. Similiter distincta ac divisa alia quoque Pindari carmina monostrophica videmus cf. O. XIV. Pyth. VI. Nem. II. N. IV.

Nihilominus vix nobis persuadebimus poetam carmina, quae summa arte composuerit, cantu ita discerpta ac dilacerata voluisse. Multo magis consentaneum est existimare carmina *ἐπίνικα* omnia aeque cantata esse, ac pleraque cetera quae dicuntur chorica i. e. unumquodque carmen totum certo quodam loco, ubi chorus constiterit; excepta sunt ea sola, quae ob cantandi rationem suam ipsorum propriam *προσόδια* nominatim dicebantur. Quae cum ita sint, nullius momenti est, quod nonnulla carmina monostrophica ab interpretibus quibusdam *ἐγκώμια* esse dicuntur. In numero prosodiorum illorum referenda certe non sunt. Carmen autem N. IX. in pompa quidem sed postquam pompa constitit ad Apollinis templum, sacrificiis peractis cantatum est. Inde pompa ad Chromii domum Chromio ipso curru invehente ducta est, ubi epulae victoris amicis iam erant paratae. Huic interpretationi verba carminis non modo non repugnant, sed praeclarissime congruunt. Ceterum cf. quae Thiersch de cantandi ratione in Pindari carminibus adhibita l. c. p. 103 sqq. explicuit.

Atque ita uno exemplo iam demonstrasse hoc nobis videmur, poetam non ideo in carminibus quibusdam forma monostrophica usum esse, ut haec carmina in convivio ab hospitibus accubantibus aut ab hominibus in pompa procedentibus cantarentur. Namque nec hac nec illa ratione carmina epinicia cantata esse veri est simile. Sed cantata sunt omnia eadem ratione, qua tragoediarum Graecarum partes choricae, quas dicunt stasima.

In nonnullis carminibus monostrophicis, velut Nem. II., Nem. IX., Isth. VII., ubi impar sit stropharum numerus, dubitari non posse Boeckh dicit (I, 1. praef. p. XI.), quin non alternent strophae et antistrophae, aliis vero in carminibus, ut Ol. XIV. Pyth. VI, XII, Nem. IV, quamvis ambiguum videatur, utrum strophae et antistrophae distinguendae sint, tamen strophas solas descripsit ob id ipsum, quod tria illa carmina, quae et ipsa epodis carent, „impari stropharum numero decurrunt".

Diximus supra, primam carminis N. IX. stropham et argumento et interpunctione a ceteris strophis distinctam ac separatam esse, tanquam prooemium vel praeludium carminis. Si cetera Pindari epinicia monostrophica, quae impari stropharum numero decurrunt, N. II. et Jsth. VII. (VIII.), accuratius consideraverimus, fortasse in his quoque similem rationem argumenti interpunctionisque inveniemus, ut similis quaedam atque in N. IX. cantandi ratio probabilis appareat.

In Jsthmio VII. (VIII.) secundam, quartam, sextam stropham ab iis quae sequuntur maiore interpunctione videmus distinctas. Quid igitur, si priores sex strophas ita a choro cantatas saltatasque esse conicimus, ut strophis responderint antistrophae, postremam

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

autem stropham quasi totius carminis ἐπῳδικὸν a choreutis cantatam esse, postquam constiterint? In Nem. II., sicut in N. IX., prima stropha a ceteris graviore interpunctione disiuncta est; fortasse in his duobus carminibus choreutae inde a secunda demum stropha saltare coeperunt et cum tertiam, quintam stropham canebant, ita locum mutabant, ut rursus ad suum quisque locum, unde moveri coepisset, rediret. In iis vero carminibus monostrophicis, in quibus par est stropharum numerus, unicuique strophae antistropham opponendam esse aeque atque in choricis tragoediarum verisimilius videtur, quamquam metrum primae strophae apud Pindarum per totum carmen repetitur. Sunt autem sane, qui vulgarem illam de saltandi strophas et antistrophas genere opinionem omnino incertam et a grammaticis ex ipso antistropharum nomine haustam esse dicant.

Ceterum vix fore arbitror, ut quisquam coarguere possit, cur poeta in nonnullis carminibus atque etiam in eiusmodi carminibus, quae et argumento et forma summam poetae artem declarant, vetustiore illa ac simpliciore forma monostrophica, in ceteris vero omnibus sive brevioribus leviusque exaratis sive longioribus manifestoque summa cum diligentia compositis usus sit epodis.

Sed ea res, de qua adhuc verba fecimus, non ita interpretes exercuit, ut fabularum vel rerum mythicarum apud Pindarum tractatio.

Pindarum omnibus fere carminibus epiniciis fabulas quasdam intexuisse mythicas quis est qui nesciat? Quarum fabularum explicatio interpretibus non parvae est curae. Quomodo enim fabula expediatur, ad totius carminis consilium argumentumque explicandum gravissimi momenti est. Plerique putant Pindarum fabula carmini intexta res quasdam vel praeteritas vel praesentes, quae ad victorem ipsum vel eius gentem patriamque pertineant, quasi imagine ostendere voluisse. Ita Boeckh primus, post eum alii res mythicas explicare studuerunt. Quod ne Boeckhii quidem acumini contigit, ut omnes fabularum partes temporibus ac rebus victoris bene convenire comprobaret, alii sese effecturos esse speraverunt. Hi autem, quin ipsi suas fabularum explicationes maximam ad partem in coniectura esse positas faterentur, facere non potuerunt.

Leutsch (Phil. XIV. p. 61) in ista fabulas interpretandi ratione, quam ipse adhibet Boeckhii, Dissenii coniecturas emendaturus, iniuria ad Chrysippum, Aristarchum, Didymum provocat, quippe cum vix alicunde appareat illos interpretes doctissimos ad eam processisse coniciendi audaciam, quae hac aetate hominibus doctissimis placeat.

Ac Boeckh quidem in praef. ad Scholia (p. XVIII.) „ex his antiquis grammaticis bonas observationes plurimas, praesertim ex fabularum rerumque gestarum notitia accurata haustas in vetera scholia venisse, sed mixtas cum iis nugas“ iudicat.

Nobis ea, quae ex Chrysippi et ceterorum commentariis supersunt, hoc tantum docere videntur, aliqua ratione fabulas in Pindari carminibus referendas esse ad victores; sed hanc rationem non tam artam existimamus quam Leutsch et alii existimaverunt.

Certe errant, qui Pindarum ea ratione res mythicas narrasse arbitrentur, ut quam accuratissima rerum victoris fieret imago.

Mythica pars carminum choricorum erat antiquissima, eam igitur in canticis tragoediarum quoque conservatam videmus. Pindarus vero in carminibus epiniciis fabulas mythicas, „pulcherrimam epiniciorum partem“, non modo ob eam causam adhibuit, quia certa poesis choricae lex rerum mythicarum ornamentum exposcebat, sed etiam propterea, quod aptissimae sunt,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quibus sententiae quaedam generales doceantur vel illustrentur. Quamquam non potest negari poetam, ubi res mythicas narret, saepissime res quasdam a victoribus vel gestas vel agitatas ita respicere, ut vel laudet vel reprehendat modeste eos, quorum victorias carminibus celebret. („Totum mythicum dicendi genus illud commodum habet, quod et laus iucundior est indirecta quam directa et reprehensio, et potuerunt etiam politicae res graviores sic tractari decore et digne". Dissen.) Eiusmodi laudes et admonitiones fabulis quasi vestitae atque ornatae sunt „allusiones" illae, quas vocant interpretes nostri recentiores. Verum tamen quam cautissimos esse oportet in eiusmodi „allusionibus" investigandis, nedum totam quandam fabulam ex allusionibus illis constare putemus.

Hoc vero licet pro certo habeamus, fabula, „pulcherrima divinarum et humanarum rerum imagine", summam carminis aliquo modo illustrari et comprobari. Atque saepe etiam singulae partes fabulae singulis partibus sententiae, quam potissimum poeta ante oculos positam velit, respondere videntur.

Praeterea consentaneum est poetam ad carmen quoddam *ἐπίνικον* pangendum aggredientem, si fieri potuit, eam fabulam sibi elegisse, quae non solum ad summam carminis sed etiam in victorem ipsum quam maxime quadraret.

Cum Dissenio, qui quidem fabulis sententiam carminis declarari dicat, („ipsius thematis pulcherrima declaratio in fabulis,") ita consentimus, ut in explicandis fabulis primum ac maxime argumentum consiliumque ceterarum carminis partium considerandum esse censeamus.

Dissenii disputatio „de ratione carminum Pindaricorum et de interpretationis genere iis adhibendo" etiam nunc dignissima est, quae legatur. Vituperaverunt quidem Hermann, Rauchenstein, alii schemata illa, quae Dissen ad illustrandam Pindari artem carminum componendorum proposuit, atque etiam alii alia reprobaverunt: omnes vero laudant diligentiam et curam, qua vir doctissimus argumenta carminum Pindaricorum pervestigaverit remque difficillimam pertractaverit et in mirabilem quendam ordinem redegerit. Omnibus haud dubie Dissenii opusculum valde profuit ad intelligendum recteque explicandum poetam Thebanum, neque ceteri interpretes eiusdem viri doctrina, quem vel impugnent vel omnino negligere videantur, non usi sunt. Atque ne Hermann quidem Dissenio merita omnia abiudicavit: quin etiam schemata illa non prorsus inutilia dixit sed apta esse ad „interpositionem" illam, quam Dissen vocat, illustrandam concessit. (Herm. opusc. VI. p. 23.)

Dissen, qui princeps rei gravissimae operam ita navaverit, ut materiam amplissimam ad artem et ad praecepta revocaret, argutissime Pindari explicandi rationem examinavit disputavitque. In iis, quae scripsit de rat. carm. Pind. et de int. gen., etiamnunc invenimus difficillimae explicationis normam. Cum autem vir ille doctissimus initium fecerit quasi disciplinae cuiusdam, quid mirum, quod nonnulla, quae persecutus est, ab aliis corrigenda atque emendanda erant? Nunc sane nemo est, qui in Dissenii praeceptis et schematis acquiescat. Iam enim didicimus Pindari rationem poeticam meliore ac simpliciore modo explicare.

Recte vero Dissen illud proposuit: „In fabulis inest ideale exemplum sententiae carmini subiectae." Inde autem apparet in expediendis rebus mythicis potissimum summam carminis spectandam esse et argumentum fabulae cum argumento ceterarum carminis partium ita congruere debere, ut una quaedam efficiatur sententia summa. Ceterum haud dubie poeta saepissime ea usus est licentia, ut adderet nonnulla, quae neque ad sententiam totius carminis neque ad res quasdam victoris pertinerent, sed exornando carmini idonea essent. Quae res a

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Dissenio ipso, quamquam eum minime praeterierat, in commentariis ad Pindarum editis parum observata est. Plurimis in carminibus interpretandis Dissen ipse Boeckhii vestigiis ingressus non solum causas rerum mythicarum ex historicis rebus victoris repetere studebat sed omnia omnino mythica ad victorem referre. Adeo difficultate rei ipsa doctissimi viri ingenium videtur concitatum irritatumque esse. Atque hoc ipso irritamento etiam hodie sagacissimi viri stimulantur, ut non desistant Boeckhii, Dissenii, Leutschii, L. Schmidtii coniecturarum numerum de Pindari rebus mythicis vel historicis propositarum novis augere. Sed haud proficiunt. Sagacitatem quandam declarant, Pindari carmina non expediunt neque eorum fructum faciliorem nobis reddunt. Plerumque summa carminis enucleari potest, etiamsi non contigit, ut efficeret quis fabulam carminis quasi imaginem rerum victoris accuratissimam esse.

In carmine N. IX. Dissen, qui omnes carminum „sententias cardinales" vel ad *ἀρετὴν* vel ad *εὐτυχίαν* revocat, quae *ἀρετὴ* vel *εὐτυχία* aut simplicem aut compositam efficiat sententiam cardinalem, dicit felicitatem (*ὄλβον*) Chromii laudari, commendari modestiam moderationemque. Ab hac sententia cardinali profectus fabulam totumque carmen interpretatus est.

Alii ad summam huius carminis exquirendam more suo imprimis fabulam (quae magnam carminis partem efficit) consideraverunt quam accuratissime eiusqne rationem omnem, sicut iam Boeckh fecerat, ex Chromii temporibus rebusque patefacere atque illustrare studuerunt.

Musis autem invocatis Chromiique victoria commemorata N. IX. poeta Adrasti fabulam tribus strophis tractat, qui heros Argis ab Amphiarao eiectus rexque Sicyoniorum factus ludos Sicyonios instituerit, deinde Argos reversus exercitum in expeditionem infelicem contra Thebas cum Amphiarao eduxerit: Sequuntur preces pro Aetnaeis adhibitae laudesque cum Aetnaeorum tum Chromii, cuius virtus bellica etiam cum Hectore comparatur. Laudes et ipsae trium fere stropharum locum obtinent. Tum monet poeta negotiis in iuventute strenue iusteque confectis succedere solere in senectute quietem neque licere hominibus modum transire. Absolvit denique carmen ad convivium incipiendum adhortans quo et ipso Chromii victoria celebretur, sibique ipsi prosperum carminis cantusque eventum exoptans.

Nisi fabula esset de Adrasto et Amphiarao narrata, argumentum summaque carminis sententia facilius essent expedienda et per se satis perspicua. Sed fabula efficit, ut totum carmen in duas partes disiungatur, quae prima specie inter se parum videantur nexae.

Boeckh Adrasti et Amphiarai dissensiones bellumque Thebanum ad res exeunte anno Ol. 76,4 (473 a. Ch.) gestas refert.

Boeckhii explicationem quamvis acutam ac speciosam reprobant et Dissen et Leutsch et alii.

Ac primum quidem mirum sane est, quod Boeckh res mythicas omnes vel ad Hieronem vel ad Theronem referendas esse censuit, quamquam poetae maxime de Chromio in carmine hoc agendum fuit. Neque enim sufficit, quod Boeckh dicit, Chromium in Thrasydaeo devincendo Hieroni operam praestitisse, quam victoriam e Thrasydaeo, ut ex Graecis latam, vs. 23 sqq. tecte significari.

Dissen docuit nec personas nec res explicationis a Boeckhio propositae consentire fabulae a Pindaro narratae. Rerum vero rationem a Boeckhio propositam minus convenire fabulae, quod Hiero et Thero non bellum quoddam commune, sicut Adrastus et Amphiaraus, gessissent sed Therone mortuo Hiero cum Thrasydaeo pugnasset.

Gravissimum autem hoc est momentum, quod ex Boeckhii ratione fabula ita explanari non potest, ut concinat cum argumento ceterarum carminis partium: Laudes Chromii bellicas

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

inesse fabulae dicit Boeckh. Sed in universa Adrasti fabula vix quisquam, qui carmen vel audiat vel legat, Chromii laudes inesse bellicas facile sibi persuadebit, praesertim cum Chromium neque Adrasto neque Amphiarao comparandum esse ipse Boeckh concesserit.

His de causis Dissen aliam proposuit fabulae explicandae rationem. Ac sententiam quidem universae fabulae subiectam primum spectans, deinde fabulam comparans cum „praesentibus", quas dicit, carminis rebus, Adrasti fabula poetam deterrere voluisse Chromium principesque Syracusanos, ne nova molirentur bella, sibi persuadet. Et Hieronem et Chromium iam summam assecutos esse gloriam bellicam. Cum gloria autem ac potentia crevisse eorum ambitionem ac novae gloriae cupidinem.

Ut aliis carminibus multis, ita nostro quoque commendari moderationem viris summa virtute summaque laude belli insignibus. Insatiabilem gloriae aviditatem displicere diis. Hanc sententiam inesse in fabula de Adrasti exercitusque Argivi interitu narrata. Qua in narratione nonnullas res, ut litem inter Adrastum et Amphiaraum exortam, neque ad Chromium neque ad Hieronem pertinere sed ad necessarium historiae fabularis nexum.

Qua in Dissenii interpretatione Leutsch hoc reprehendit, quod altera fabulae pars sola respiciatur; ipse autem universam fabulam ad unius Chromii res revocat. Chromio per omnem vitam multos adversarios fuisse: id ex summa viri dignitate neque minus e rerum Syracusanarum condicione facile colligi posse, praeterea ipsis Pindari verbis comprobari. (N. I. 24: *λέλογχε δὲ μεμφομένοις ἐσλοὺς ὕδωρ καπνῷ φέρειν ἀντίον κτλ.*) Ita fieri potuisse, ut Chromius aliquamdiu gratia Hieronis amissa demoveretur a publicis negotiis, paulo post vel sua ipsius prudentia vel Aristonoi, uxoris fratris, auxilio (schol. N. IX., 95.) rursus primum dignitatis atque honoris consequeretur gradum. Hanc autem rerum mutationem poetam respexisse videri vss. 11—17. Alteram fabulae partem (18—27) Leutsch cum Dissenio ad consilia quaedam bellica refert, quae Chromium meditatum esse cum affinibus suis conicit. Verbis *ἐν γὰρ δαιμονίοισι φόβοισι φεύγοντι καὶ παῖδες θεῶν* moneri victorem, ne nimis confideret viribus suis quamvis maximis. Fortasse Chromium ceterosque principes Syracusanos contra Acragantem et Himeram bellum molitos esse, quibus urbibus Graecis, ut parcerent, Pindarum voluisse carmine suo efficere.

Fortasse etiam unum ex Chromii propinquis (Aristonoum) idem, quod Pindarum, sensisse ac bellum contra Graecos illos suscipiendum dissuasisse, ne unius viri ambitio perderet totam gentem. Ita etiam de Amphiarai persona in fabulam inserta facile posse conici. Concedit quidem vir doctissimus ipse hanc suam fabulae explanationem prorsus in coniectura esse positam; sed coniecturam suam dicit optime comprobari confirmarique reliqui carminis argumento. Sed eiusmodi coniecturae cum admodum incertae tum non necessariae esse videntur ad interpretationem carminis.

Fabula de Adrasti sorte deque exercitus Argivi interitu narrata hanc nobis maxime sententiam poeta ante oculos ponit: puniri a diis superbiam humanam, etiam nobilissimos heroas deorumque filios perisse, si quid nimia cum ambitione diis invitis tentare studuerint: *ἐν γὰρ δαιμονίοισι κτλ.* Quod elogium exemplis Adrasti et Amphiarai optime illustratum videmus. Ille Argis pulsus tamen rex erat nobilissimus, qui Sicyone novis diebus festis certaminibusque ludicris conditis in ipso exilio sibi gloriam paraverit haud parvam. Haud ita multo post prudentia sua effecit, ut Argos rediret ac rursus fieret unus e potentissimis principibus Graeciae. Ita autem in summum fastigium gloriae ac potentiae emerserat. Neque tamen suis rebus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

erat contentus, sed vel contra deorum manifestam voluntatem una cum Amphiarao profectus est contra Thebas: *φαινομέναν δ' ἄρ' ἐς ἄταν σπεῦδεν ὅμιλος ἰνέσθαι.* Perierunt fere omnes *ἐν δαιμονίοισι φόβοις.* Dii enim immiserant ipsi subitum terrorem turpissimamque fugam, ut ulciscerentur superbiam illam nimiamque sui confidentiam.

Ita ex mythica carminis parte fere idem sequitur, quod Solon notis illis ac pervulgatis verbis expressit: *Μηδὲν ἄγαν.* Temperantia igitur commendatur fabula.

Hoc plerique interpretes recte intellexerunt neque tamen hac in generali fabulae sententia acquieverunt. Si autem comparaverimus cum mythica carminis parte alteram, quae preces, laudes, admonitiones continet, videbimus poetam in exitu huius alterius partis similem quandam sententiam proponere ac priore parte. Dicit enim vs. 46. sq. *εἰ γὰρ ἅμα κτεάνοις πολλοῖς ἐπίδοξον ἄρηται κῦδος, οὐκέτ' ἔστι θνατὸν ἔτι σκοπιᾶς ἄλλας ἐφάψασθαι ποδοῖν.* Postquam Aetnaeos laudavit ob virtutes bellicas ac civiles, imprimis Chromii fortitudinem ac prudentiam summis laudibus sustulit, sic pergit: *ἐκ πόνων δ', οἳ σὺν νεότατι γένωνται σύν τε δίκᾳ, τελέθει πρὸς γῆρας αἰὼν ἀμέρα · ἴστω λαχὼν πρὸς δαιμόνων θαυμαστὸν ὄλβον.* „Ex laboribus in iuventute iuste peractis efflorescunt seni dies quieti. Tu vero, Chromie, a diis mirabilem nactus es felicitatem."

Quodsi continuo poeta sententiam illam generalem, quam modo citavimus, addit, *οὐκέτ' ἔστι πόρσω* etc., quid haec omnia sibi volunt? Nonne idem hoc loco monetur verbis expressis, quod antea poeta pronuntiaverat Adrasti exemplo proposito?

Chromium strenuis laboribus summam consecutus est et gloriam et fortunam: acquiescat in iis, quae habet. Hucusque se abstinuit iniuria omniaque egit *σὺν δίκᾳ*: ne incidat in superbiam neve admittat nefas. Ne quid nimis! Iam contentus sit. Quod Adrastus cum sua suorumque pernicie neglexerat in summo fortunae fastigio, ne id negligat Chromius et ipse. Fruatur potius bonis iam partis.

Ita parti mythicae et alteri parti carminis, in qua poeta, ut Dissenii utar verbo, directam adhibuit orationem, una eademque subest sententia generalis.

Rationem autem eam, qua poeta carmini fabulam inseruit, aptissimam existimamus ad celebrandam victoriam Sicyone partam. Namque *Φοίβῳ θῆκεν Ἄδραστος ἐπ' Ἀσωποῦ ῥεέθροις (ἱππίων ἄθλων κορυφάν).* Ludorum igitur conditorem itaque victoriam et victorem ipsum celebraturus dicit *ἐπασκήσω κλυταῖς ἥρωα τιμαῖς* narratque quasi ex lege poesis choricae variam herois fortunam. Neque nobis videtur quaerenda esse cum Leutschio alia causa, cur poeta priorem fabulae partem narraverit (usque ad vs. 17.). Adrasti laudibus commodissime respondent in altera parte carminis laudes Chromii.

Sed de compositione carminum epiniciorum a Pindaro non inventa quidem sed certe exculta, quam nostra memoria Mezger et Lübbert a Terpandro denuo repetitam volunt, alio loco et tempore hominum doctissimorum sententias conferemus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

erat contentus, sed vel contra cum Amphiarao profectus
est contra Thebas: *φαινομέναι* *ται*. Perierunt fere omnes
ἐν δαιμονίοισι φόβοις. Dii eni turpissimamque fugam, ut
ulciscerentur superbiam illam

Ita ex mythica carminis p tis illis ac pervulgatis verbis
expressit: *Μηδὲν ἄγαν*. Tem

Hoc plerique interpretes in generali fabulae sen-
tentia acquieverunt. Si auter minis parte alteram, quae
preces, laudes, admonitiones co uius alterius partis similem
quandam sententiam proponere . sq. *εἰ γὰρ ἅμα κτεάνοις*
πολλοῖς ἐπίδοξον ἄρηται κῦδ *ἄλλας ἐφάψασθαι ποδοῖν*.
Postquam Aetnaeos laudavit o is Chromii fortitudinem ac
prudentiam summis laudibus *σὺν νεότατι γένωνται σύν*
τε δίκᾳ, τελέθει πρὸς γῆρας αἰ *ων θαυμαστὸν ὄλβον*. „Ex
laboribus in iuventute iuste pe Tu vero, Chromie, a diis
mirabilem nactus es felicitatem

Quodsi continuo poeta se do citavimus, addit, *ουκέτ'*
ἔστι πόρσω etc., quid haec omn o monetur verbis expressis,
quod antea poeta pronuntiavera

Chromium strenuis laborib m et fortunam: acquiescat
in iis, quae habet. Hucusqu *σύν δίκᾳ*: ne incidat in
superbiam neve admittat nefas sit. Quod Adrastus cum
sua suorumque pernicie neglex id negligat Chromius et
ipse. Fruatur potius bonis iam

Ita parti mythicae et alter senii utar verbo, directam
adhibuit orationem, una eadem

Rationem autem eam, qu ptissimam existimamus ad
celebrandam victoriam Sicyone *δραστος ἐπ' Ἀσωποῦ ῥεέ-*
θροις (*ἱππίων ἄθλων κορυφάν*). ue victoriam et victorem
ipsum celebraturus dicit *ἑπασ* ue quasi ex lege poesis
choricae variam herois fortuna esse cum Leutschio alia
causa, cur poeta priorem fabula). Adrasti laudibus com-
modissime respondent in altera

Sed de compositione carmi nta quidem sed certe ex-
culta, quam nostra memoria Me repetitam volunt, alio loco
et tempore hominum doctissim

© The Tiffen Company, 2007
TIFFEN Gray Scale
R G B W G K C Y M B
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 17 18 19

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf